

6. Quæ uti ad essentiam Subditi describendam faciunt, ita ut rectius intelligantur, duo uberius explicanda, nobis suppeditant. Quorum prius expeditum erit, si dixerimus, quinam in classem eorum collocandi veniant: Alterum, quæ ad objecta mandatorum Regiorum, vel Principalium, referenda sint.

7. In subditorum classem autem referimus omnes, qui in Republ. non participant de Majestatis juribus, sive Laici vocentur illi, sive Ecclesiastici.

8. De his Pontificii aliter sentiunt, & nescio quam affingunt Clericis subjectionis immunitatem. In quâ sententiâ defendendâ, uti omnes desudant strenuè; ita de fundamento, quo probent rem, non consentiunt. Allegant alii divinum jus, humanum alii, utriq; pari successu, id est, nullo. Quomodo enim per se citare sacras literas possint? quæ potestatibus supereminentibus omnem subjiciunt animam. Aut ergò necesse est non collocandos in hominum classem (per animam enim intelligi homines ex frequenti scripturæ usu probatum jam dudum est) Clericos esse, quod neq; ipsi volunt; aut, si collocandi sunt, non alio, nisi inter parentes loco ponendos. Hinc rectè in hunc locum Chrysostomus: *Ostendit Apostolus, quod ista imperentur omnibus & sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus. Id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, sive Evangelista, sive Propheteta, sive quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatem subvertit ista subjectio.*

9. Exempla utriusq; fœderis repugnant adversæ sententiæ sectatoribus pari modo. Sapientissimus Regum Salomo Abjatharem ab officio removit testatusq;